

An sit immensus, et ideo sensum aurium excedens tantae molis rotatae vertigine assidua sonitus, non equidem facile dixerim: non hercle magis, quam circumactorum simul tinnitus siderum, suosque volventium orbes; an dulcis quidam et incredibili suavitate concentus. Nobis qui intus agimus, juxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus. Esse innumeratas ei effigies animalium, rerumque cunctarum impressas, nec, ut in volucrum notamus ovis, laevitate continua lubricum corpus, quod clarissimi auctores dixerunt, rerum argumentis indicatur: quoniam inde deciduis rerum omnium seminibus innumeratae, in mari praecipue, ac plerumque confusis, monstrificae gignantur effigies. Praeterea visus probatione, alibi plaustri, alibi ursi, tauri alibi, alibi literae figura, candidiore medio per verticem circulo. Evidem et consensu gentium moveor. Nam quem κόσμον Graeci, nomine ornamenti appellaverunt, eum nos a perfecta absolutaque elegantia, mundum. Coelum quidem haud dubie caelati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro. Adjuvat rerum ordo, descripto circulo, qui Signifer vocatur, in duodecim animalium effigies; et per illas Solis cursus congruens tot seculis ratio.

De Fato, XVII, XVIII, XIX. Ac mihi quidem videtur, quum duae sententiae fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit; altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii: Chrysippus, tamquam arbiter honorarius, medium ferire voluisse; sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus. Atque hoc si placet, quale sit videamus in assensionibus, quas prima oratione tractavi. Eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici et necessitate dicebant.